



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nicolai Mazzotta theologia moralis**

omnem rem moralem absolutissime complectens

**Mazzotta, Nicolò**

**Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756**

VII. Quando valeat Confessio formaliter tantum, & non meaterialiter  
integra?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41004**

Similiter non peccat, qui ex necessitate confitens huic Confessario (cui ex rationabili causa non tenetur dicere peccatum, quod habet in conscientia, vel ejus speciem) id ab eo interrogatus neget; quia nullatenus mentitur, sed loquitur æquivoce: Doctores communiter. Qui autem mentitur circa individuum physicum peccati (puta si dicat; se peccasse tali die, cum sciat, se peccasse alio die, vel occidisse Titium, cum sciat, se occidisse Cajum) Arriag. Bosc. & alii dicunt, esse tantum veniale mendacium; quia moraliter sunt idem individuum peccati, & circumstantiæ illæ physice diversæ non sunt materia necessaria; nisi vero mutent speciem peccati, vel notabiliter judicium Confessarii: Suar. d.22. f.2. n.3.

## CAPUT VII.

*Quando valeat Confessio formaliter tantum, & non materialiter integra?*

CONFESSIO formaliter tantum integra est externa quidem accusatio Sacramentalis, sed non omnium peccatorum, quæ sunt in conscientia, adeoque non est materialiter integra; dicitur tamen integra formaliter, quia nihil ei deest ad valorem, & formam Sacramenti. Hæc autem præcise valet, si adsit impotentia physica, vel moralis confitendi omnia, quæ sunt in conscientia, quia tunc solum ex benignitate Christi cessat suum præceptum de integritate materiali, & ideo transacta postea ea impotentia teneris ex eodem præcepto, mortalia tunc omnia subicere clavibus: Doctores communiter. Sit igitur.

## §. I.

*Quid de impotentia morali?*

SI necessitas sit confitendi (v.g. ob præceptum annuæ communionis, vel ad vitandam infamiam, scandalum, aliudve malum grave, vel, si aliter longo tempore confessio esset differenda) valida est confessio non integra materialiter ob impotentiam moralem in subsequentibus casibus.



I. Si pœnitens nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri suum peccatum, nisi nominando complicem; tunc enim probabiliter potest illud tacere, quia conservatio famæ, ad quam complex habet jus, videtur excusare: Nav. Armil. Molin. Bon. Busemb. Dian. & alii contra Suar. Lug. D. Bonav. D. Anton. & alios. Si autem sola circumstantia nequeat exprimi sine manifestatione complicis, fatendum est peccatum tacita circumstantia, dicendo v. g. *fornicatus sum*, tacendo circumstantiam incestus, ex qua talis Confessarius facile nosset complicem. Hinc fit, quod, quando confessio fieri integre potest sine complicis manifestatione, illicitum est tum pœnitenti complicem manifestare, tum Confessario complicis nomen interrogare. \* Ubi nota, Praxim exquirendi nomen complicis à nonnullis Portugalliæ, nec non Algarbiorum Confessariis usitatam, fuisse nuper à Bened. XIV. felicit. Regn. per literas in forma Brevis ad Episcopos illius Regni scriptas, *Damnata, ac reprobata, tanquam scandalosam. Et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantoperè proficuo; Et necessario usu Fideles abalienantem.* \* Si autem gravia damna timerentur à complice, quæ solus Confessarius posset impedire, esset ei manifestandus, quod expediret etiam fieri extra confessionem: Sot. Dian. Lug. Avdrf. q. 18. l. 7. & alii.

II. Si pœnitens ex confessione sui peccati, vel ejus circumstantiæ prudenter timeat grave damnum, sive spirituale, sive temporale sibi, aut Confessario, aut aliis, potest illud reticere; quia præceptum divinum de integritate materiali non obligat cum tanto incommodo: Doctores communiter: ut si prævideas, talem Confessarium fracturum sigillum, aut te odio gravi habiturum, aut aliis graviter nociturum. Item, si mulier v. g. prævideat ex confessione peccati carnalis fore periculum animæ suæ, vel confessarii; nullatenus potest ei confiteri, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo etiam illud tacere debet, ob periculum alterutrius; nisi vero hoc omnino cessaverit. Doctores communiter apud Lug. d. 16. n. 361. Item, si Confessarius non posset aliter confiteri suum peccatum, nisi violatione sigilli: v. g. si invalide absolvisset simoniacum, nec posset confiteri



ferri, nisi illi, qui facile posset conjicere, quisnam ille esset. In his omnibus casibus requiritur necessitas supradicta confitendi, & defectus alterius Confessarii; Fill. Lug. & alii communiter, monentes, talia damna, & pericula non esse facile fingenda, & præsertim in Religioso vix posse locum habere.

III. Si pœnitens sit mutus; hic enim probabilius non tenetur confiteri scripto, quia scriptura ex natura sua nata est esse publica: Ledesm. Victor. Sotus, Navar. Val. Barb. Dian. Laym. Pal. & alii contra Suar. Vasq. Lug. Escob. & alios. Hinc satis est, si confiteatur per nutus, etiam prævideat, non posse integre intelligi à Confessario. Debet tamen hic, si fieri potest, instrui prius ab ejus domesticis de significatione nutuum. Si id fieri non potest, absolvere eum potest tempore præcepti, imo etiam jubilæi, aliisque celebribus festis, etiam nequeat ulla peccata in specie intelligere, modo tamen ex signis intelligat, eum dolere, & petere absolutionem: Gob. t. 7. n. 476. At, si quis à nativitate fuerit mutus, surdus, & cæcus, cum non videatur ullo modo posse ediscere mysteria fidei, solum est capax baptismi: Gob. t. 7. n. 476. Eadem dic de surdo, cui pariter satis est, si confiteatur integre, quantum scit se explicare: quod, si sit surdaster, neque est interrogandus à Confessario, nisi de plane necessariis, & sine periculo publicitatis: expedit tamen, ut audiat, si fieri potest, in loco remoto: Dian. p. 3. t. 4. r. 120. Eadem dic etiam de puero, rudi, bardo (vulgo *locco*) qui nequeunt se in specie accusare; habent enim potius impotentiam physicam; ideoque in dictis necessitatibus impertienda est eis absolutio sub conditione, si dubites, an noverint mysteria fidei, vel an dent signa doloris, &c. qui autem est semifatuus, putat Gob. t. 7. num. 468. quod, etiamsi singulis mensibus petat absolutionem à Confessario, qui novit eum saltem imperfecte exercere actus necessarios ad hoc Sacramentum, absolvendus est: idem dic proportionaliter de pœnitente barbari idiomatis, qui, etiam possit, tamen non tenetur confiteri per interpretem, cum solum præcipiatur confessio secreta, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Quare in dictis necessitatibus, si non habeat Confessarium intelligentem suum idioma, poterit confiteri per signa. Addunt Val. Arr. Bus. & alii contra Con. Laym. Lug. & alios, quod ne in articulo quidem mortis teneatur confiteri



confiteri per interpretem; sed optime monet Averf. teneri tunc per illum confiteri aliquod saltem veniale, ob majorem securitatem salutis: & Dian. suadet, sic etiam tunc conatenda omnia, cum non sit certum non adesse obligationem ad hoc ex præcepto divino.

IV. Magnus concursus pœnitentium non est causa moralis sufficiens dimidiandi confessionem, ex Propof. 50. damn. ab Inn. XI. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ; adhuc tamen putat Lumb. sufficere, si tunc sit pœnitens non rediturus ad confessionem, vel accedat peregrinus non bene examinatus, qui abire statim debeat: sed hoc negat merito Carden. nisi etiam adsit impossibilitas moralis, qualis esset, si ille esset valde rudis, nec alias posset confiteri; hic enim, si solitus sit confiteri generice tantum non explicando species peccatorum, posset tunc Confessarius audire peccata ab ultima confessione, & rudi aliqua cognitione præcedentium eum absolvere: Laym. l. 5. t. 6. c. 9. n. 4.*

## §. II.

*Quid de impotentia physica?*

I. **H**ÆC est in periculo mortis, in quo non sit tempus confitendi omnia, ut in naufragio, terræmotu, prælio, aut alio simili; tunc enim sufficit dicere tantum in genere, *Accuso me de peccatis meis*: Doctores communiter ex Rit. Romano. Imo, quando imminens periculum aliud non permittat, possunt multi simul dolorem ostendere Sacerdoti, & sic omnes simul absolvi. Addunt tamen Con. Lug. Tamb. & alii, quod, quamvis tunc neque obliget publica confessio, tamen pro majore securitate expedit, ut quisque manifestet aliquod saltem veniale in specie, de quo minus erubescit, ut sic ab illo directe absolvatur, & indirecte à reliquis. Idem proportionaliter dic pro tempore pestis; si enim Confessarius accedens ad pestiferum non possit immorari ob periculum contagii, poterit unum tantum peccatum audire, & absolvere: illud tamen debet esse mortale, si sit in conscientia, quia, cum sit materia necessaria, debet dici, si potest. At, si ob tale periculum non possit Confessarius accedere, satis est dicere publice aliquod veniale, ut supra, & sic absolvi: v. Laym. l. 5. t. 6. c. 13.

II. E&amp;c



II. Est in articulo mortis, quando probabile periculum est, ne infirmus ante absolutionem moriatur, vel plus animo debilitetur, vel mortem acceleret: sufficit etiam unum mortale, aut, si hoc non habet, veniale fateri Confessario, & sic absolvi: Doctores communiter. Quod si non possit in specie, dicat saltem in genere, *Peccavi graviter*; & si neque hoc totum, proferre possit, dicat, *Peccavi*: si nec loqui possit, det signum doloris, vel desiderii absolutionis, puta, tundat pectus, vel manum Confessarii stringat, vel interroganti annuat, quia sic etiam habetur sufficiens confessio sensibilis, & accusatio externa. Itemque est, si oculos ad cœlum tollat, si Sacram Imaginem devote intueatur, &c. Si autem dubium sit de signo aliquo, absolvendus est sub conditione; quia probabile est, illud esse signum pœnitentiæ, cum probabile sit, quemlibet etiam scelestissimum in eo articulo velle remedium animæ suæ, idque eo signo, cum aliter nequeat, manifestare: Doctores communiter. Quod si Confessarius eum inveniat lapsum in lethargum, phrenesim, aut etiam in delirio dicentem, se nolle absolvi, potest, ac debet pariter absolvere, si unus saltem fide dignus testetur, eum antea petivisse absolutionem, aut dedisse aliquod ex prædictis signis, quia sufficit confiteri per alium, uti per interpretem: & non est certum, se retractasse, aut confessionem sensibilem non perseverare moraliter, Moya, Averl. Dian & alii communiter, ex Rit. Rom. *de Penit. c. ult.* Addunt etiam sufficere, si id testetur hæreticus, vel infidelis, quia præsumi non potest, quod hi dicant falsum, ut fiat Sacramentum. Addunt etiam sufficere, si testis referens Sacerdoti id tantum audierit ex relatione alterius. Addunt demum etiam sufficere, si testis hoc dixerit absens à moribundo, ad quem deinde accedat solus Sacerdos.

Difficultas maxima est, si hic talis neque per se, neque per alium dederit signum pœnitentiæ? Qua in re dicendum est, quod, si certum sit, nullum prorsus signum dedisse, non possit ne sub conditione quidem absolvi; quia tunc certum est, absolutionem fore nullam, cum confessio aliqua externa sit de essentia Sacramenti: Doctores communiter, præsertim Societatis Jesu, quibus in ratione studiorum prohibitum est docere hanc thesim: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos, nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi*



*absolvi potest.* Talis certitudo haberetur, cum ille videretur infidelis, vel hæreticus, aut in eo articulo expressè diceret nolle confiteri, velle mori in peccato, &c. & hæc dicat, aut faciat non delirans, sed utens ratione. At, si hæc certitudo indispositionis non sit, sed ita improviso mortis articulo quis obruatur, ut nullum signum externum dare possit doloris, &c. Lug. Haun. Moya, Pallav. & alii dicunt, sufficere vitam christiane antea ductam, & confessiones sæpe ante factas in signum externum doloris præsentis, quem etiam probabile est interne habere. Negant Illi. & alii, quia vita christiane antea facta, &c. non est signum externum, quo ille active manifestet dolorem præsentem; aliter frustra, & deceptorie Concilia, & Canones requirerent in moribundo aliud signum, quod vel ipse Sacerdos viderit, vel de quo alii testentur.

Dico tamen, posse hunc absolvi sub conditione, quia sufficit quodcunque signum externum doloris, quamvis à Sacerdote clare non cognitum, sed sub dubio tantum præsumptum; Avers. l. 19. & alii dicentes, *Locum dubitandi adesse, quodocunque non constat oppositum.* At qui in casu posito, cum non constet oppositum, præsumi potest, illum dare hoc signum; nam nescitur, an non utatur ratione, & tales moribundi ordinarie dant extrema aliqua signa, quæ possunt, quibus forte manifestare volunt suum dolorem, quale signum esse potest etiam ipsa anxia respiratio moribundis omnibus consueta: ergo absolvi potest conditionate, cum sic nec fiat injuria Sacramento, & succurratur extremæ necessitati. Unde, si potest, debet ex gravi obligatione charitatis ita absolvi: Moya, Sanchez, & alii multi. Quando autem Concil. & Can. requirunt aliud signum, loquuntur de absolute absolute, non de conditionata, ut fertur etiam hanc contulisse ipsum Clem. VIII. cuidam decedenti à fabrica D. Petri, dicendo, *Si capax es, absolvo te à peccatis tuis.* Idem dicunt Ponc. Gorm. & alii multi contra Bosc. etiam si is antehac male vixisset; quia sufficit, si constet, fuisse Catholicum, ut habeatur aliqua saltem tenuis probabilitas accipiendi motus, quos facit, in signum doloris. Unde etiam infert Gorm. num. 226. quod, licet quis actualiter peccando subito destitueretur sensibus, regulariter sine absolute dimitti non deberet: & Tamb. Carden. alique addunt, Catholicum in duello, vel adulterio confossum, si supersit aliquid temporis ante mortem,



mortem, vix dimittendum sine absolutione sub conditione. Secus vero, si sit infidelis, vel hæreticus, quia ille est omnino incapax, hic certe dispositus, nisi vero serio antea dixerit, se velle mori ritu catholico. Denique, si quis adveniente Sacerdote sit mortuus, certum est, non posse Sacramentaliter absolvi, quamvis antea dedisset signa pœnitentiæ, cap. *Multiplex 49. de Pœnit. d. 1.* quia non est amplius in statu viæ: neque citetur in oppositum Opusc. 65. D. Th. nam hoc falso ei adscribitur: Moy. n. 16. neque citentur aliqui Medici dicentes, animam rationalem manere etiam uno, vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam; nam ea opinio est communiter improbabilis; si autem auctoritate, vel ratione fieret alicui saltem dubie probabilis, posset is absolvere sub conditione.

## QUÆSTIO V.

### *De Operis Satisfactione.*

**O**PERIS satisfactio, ut vocatur à Florentino, est *Executio pœnitentiæ impositæ à Confessario*: ideoque est pars hujus Sacramenti, non quidem essentialis, cum sine illa adhuc sit essentialiter validum; sed certe integralis pertinens ad integrum ejus complementum. Hinc dicitur pœnitentia Sacramentalis, & causat ex opere operato remissionem pœnæ temporalis, non quidem omnis omnino, cum hoc sit proprium baptismi, sed certe majoris, quam si fieret sine Sacramento. Dividitur autem in mere pœnalem, seu vindicativam culpæ præteritæ, & in medicinalem, seu præservativam etiam à culpa futura. Videnda hic est ejus impositio, acceptatio, executio, & commutatio; tum demum satisfactio per Indulgentias.

### CAPUT I.

#### *Quid de impositione Pœnitentiæ?*

**D**ICO primo: Confessarius absolvens tenetur imponere pœnitentiam: Doctores communiter. Ratio est,